



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

V. De his qui ab ecclesia Conuentus spernendos aestimant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

quam spem non habentem, qui eas manducat anathema fit. ANNO CHRISTI .....

## III.

17. q. 4. Si quis alienum.

Si quis seruum alienum occasione religionis doceat dominum suum debere contemnere, & eius ministerium destituere, ac potius non docuerit eum suo domino bona fide & cum omni honorificentia deseruire, anathema fit.

## IV.

Dist. 30. Si quis discernit.

Si quis discernit presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se abstinere, anathema fit.

## V.

Si quis docet domum Dei contemptibilem esse debere, & congregationes quæ in ea fiunt, anathema fit.

## VI.

Si quis extra ecclesiam priuatim populos congregans, contemnat ecclesiasticas sanctiones, aliterque ea quæ sunt ecclesiæ voluerit usurpare, non conueniente presbytero, iuxta decretum episcopi, ipsamque ecclesiam apud se, sine consilio episcopi, & sine presbytero agat, anathema fit.

## VII.

Si quis oblationes fructuum, vel primitias ecclesiæ debitas, voluerit extra ecclesiam accipere, aut dare præter conscientiam episcopi, vel huius cui huiusmodi officia commissa sunt, & non magis cum consilio eiusdem hæc agenda putauerit, anathema fit.